

Rome, 10 janvier 1620. Bellarmin à l'archid. Marie Christ. d'Autriche.

2181

/ Serenissima Domina mea. Accepi litteras Serenissimae Celsitudi-
nis Vestrae cum participatione magni thesauri: accepi enim partici-
pationem bonorum omnium operum quae in ista Sacra Congregatione fi-
unt, et fient; nihil enim dubito, quin opera tot insignium foeminarum
5 valde sint placita Deo, ac per hoc meritoria valde, tum ipsis, tum
iis, quibus communicabuntur. Ignoscat Serenissima Domina mea, si hic
unum addo, quod fortasse non vellet. Ego interfui vocatus, ut Theolo-
gus, cum ageretur de dissolutione matrimonii vestri; et ea occasio-
ne multa novi, ex quibus censui Serenitatem Vestram habere merita
10 Virginum et Martyrum. Quae causa est, ut multum omnino confidam in
ejus Sanctissimis precibus. Ago igitur gratias pro communicatione
bonorum operum istius Sanctae Congregationis, sed praecipue pro quo-
tidianis precibus, quibus pro certis personis, in quibus ego nume-
ror, tota ista Sancta Congregatio Deum pie, et humiliter rogat. Miror
15 fasciculum Capuccinorum non fuisse delatum ad locum, ad quem defe-
rendus erat; ego certe misi illum ad Oratorem Magni Ducis Floren-
tiae, ut cum litteris meis mitteret ad Serenissimam Celsitudinem
Conjugis Magni Ducis Florentiae. His cupio Serenissimae Celsitudi-
ni Vestrae omnem felicitatem temporariam, et sempiternam, et de fas-
20 ciculo Capuccinorum admonui Fratres, qui Romae degunt. Roma die 10
Januarii 1620.

Epist. fam. CLXII.